

1509

His permoti rebus Patres , & quod exercitu redintegrando omnia eos deficiebant , neque multum in Nicolao imperatore spei repositum diminutis ejus copiis ad rempublicam tuendam habebant , rogationem jusserunt , ut certus homo ad Prosperum Columnam mitteretur ( is in finibus regni Neapolitani tunc erat ) qui ei nunciaret , si reipublicæ velit præsto esse , Senatui ei nomen imperatorium cum stipendio auri librarum sexcentarum singulis annis daturum , modo is equites mille ducentos secum adducat : rogare , uti & conditionem acciperet , & professionem , quantum posset , maturaret . Interim rex a Brixianis intra mœnia recipitur : arcibusque duabus , quas ii dolo a præfectis interceperant , suos ministros præficit . Sebastianus Justinianus prætor , quod in oppidanos magna continentia & moderatione usus fuerat , cum una cum reliquis magistratibus captivus factus esset , publica civitatis commendatione a Rege libertati restitutus , Gallorum comitatu in castra ad legatos se se contulit . Cremenenses quidem cum oppidum haberent munitissimum , jam ante hos omnes Sonzini Benzonii eorum municipiis turmæque equitum reipublicæ præfecti suasu in Gallorum partes transferant : nam cum in clade exercitus Grittus legatus , qui eo se recipere cogitaverat , Benzonium Cremam præcurrere jussisset , civitatisque nunciare bono animo ut esset , se jamjamque affuturum , eique præsidio futurum : ille ad cives suos advolans , uti portas legato clauderent , neque illum neque quenquam Venetum intromitterent , oratione sua dedecoris perfidiæque plena , & auctoritate , qua pollebat , perfecit . Quibus intellectis rebus imperator legati-que Pischeriæ , municipio in Mintii fluminis ripa , ubi e Benaco exit , posito , equitibus levis armaturæ trecentis , militibus nongentis ex itinere præsidio relictis , Veronam se recipiunt , castrisque in campo , qui appellatur Martius , ad muros oppidi positos , rerum exitum expectare constituunt . Omnes equitum ad quina millia , milites mille quingentos redacti . nam quod rex edictum vulgaverat , omnes ex Gallia , quam ipse ceperat , qui reipublicæ

*Brixiani se  
Gallis dedunt  
XI. kal.  
jun.*

*Et Cremen-  
ses  
VIII. kal.  
jun.*